



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

101. Prosecutio donationis Werdae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO CL.

## Profecutio donationis Werdaë.

**C** Ap. 23. Post enarrata aliquot pia colloquia Ple-  
 ctrudis cum S. Swiberto subiungit: *Et ne ingrato  
 illis beneficijs vidcretur (Plectrudis) cōsensu & admissi-  
 one Venerabilis patris Annonis Archiepiscopi Colonien-  
 sis, direxit S. Swibertum Episcopum cum prefato Ge-  
 rardo Palatino de Ardenna, sanato à peste Angina per eundem S.  
 Swibertum, cum litteris commendatitijs ad illustrem Pipinum Prin-  
 cipem petens & postulans obnixè, ut viro Dei Swiberto douaret vi-  
 cum Werdam in insula siue littore Rheni, ut gentili Saxonico popu-  
 lo illic cum suis prodesse & praesse posset. Pipinus vero senex proue-  
 ttaque atatis honorifice S. suscipiens Swibertum, cum suis aliquan-  
 to tempore secum detinuit ut verba vite ab eo audiret, eo quod pri-  
 dem à plerisq; multa laude digna audierat. Tandem ut hilaris dator  
 stitens astuante conversionem gentilium, volensque cultum divi-  
 num augmentare ex regali munificentia benigne eundem vicum ei  
 propter profectum & firmamentum suorum Principatum donavit,  
 addens & offerens ex copioso thesauro suo, aurum & argentum mul-  
 tum nimis quibus Ecclesiam siue monasterium ibidem ad honorem Dei  
 edificaret, & populum barbaricum, fidei Christi prorsus ignarum,  
 verbo vite reficeret.*

Hic Marcellinus insinuat vel inuitus abdicationem re-  
 pudij Plectrudis à Pipino & repetitam coniunctionem  
 tanquã verorum coniugum. Quomodo enim alioquin illa  
 plurimis annis abiecta voluisset aut ausa fuisset à Pipino  
 petere? quomodo litteras commendatitias ad ipsum mitte-  
 re? quod pondus apud Pipinum & Alpaidem habuissent?  
 quomodo S. Swiberto ipsius intercessione libuisset vti? po-  
 tius



tius timuisset offensionē vtriusq; quomodo nō prius adij-  
 fet & postulasset à Pipino? quare placet fidelis & simplex  
 narratio V. Bedæ quam sequuntur Leydenfis & qui ante  
 hunc Marcellinum scripserunt: *Qui (Swibertus) accepto E-*  
*piscopatu de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boruch-*  
*tuariorum secessit ac multos eorum predicando ad viam veritatis*  
*perduxit. Sed expugnatis non longe post tempore Boruchtuarijs à*  
*gente antiquorum Saxonum dispersi sunt quolibet hi qui verbum re-*  
*ceperant, Ipseque Antistes cum quibusdam Pipinum petijt, qui in-*  
*terpellante Schildetrude coniuge sua dedit ei locum mansionis in*  
*insula quadam Rheni que lingua eorum vocatur in littore. In qua*  
*ipse constructo monasterio, quod hætenus heredes eius possident, ali-*  
*quamdiu continentissimam gessit vitam ibique diem clausit ultimum.*  
 Ita Beda lib. I cap. 12. Hic nullæ diuortij indicinæ: imo  
 potius coniunctionis aperta argumenta. Nec fuisset ig-  
 notum Bedæ, nec destitisset verbulo insinuare.

In textu Marcellini mentio est V. Annonis Episcopi Co-  
 loniensis, quotus iste Antistes fuerit, quot annis sederit,  
 quo anno defunctus, incertum. Diuersi diuersos Episco-  
 porum catalogos numerosque conficiunt & tanquam  
 certos proponunt. In ista varietate consului R. P. Geor-  
 gium Garnefelt Carthusianum Coloniensem in Annalibus  
 Ecclesiasticis Coloniensibus elaborandis plurimis iam an-  
 nis exactissimè versantem, qui mihi assignauit regulam,  
 quam amplector & amplecti debet quisquis hac in mate-  
 ria errare & dubia pro indubitatis obtrudere nolit. Est ve-  
 ro hæc: *Quæ ad Episcopos Colonenses attinent, ea auplicis generis*  
*sunt: primo quadam obscura, vsque ad annum Christi 923.2<sup>o</sup>. qua-*  
*dam clara, ab anno expresso vsque ad nostra tempora.*

Addebat idem Pater seriem Episcoporum Colonensium  
 qui præfuerunt ab aduentu S. Willibrordi vsque ad obi-  
 tum S. Ludgeri id est ab anno 690. vsque 809. vt vel hoc



modo meo instituto pro sua beneuolentia inseruiret. Libet eam appendere, lectori (spero) vtilem futuram.

*Adeluuinus* sub Theodorico Rege Francorum, ex MS. catalogo.

*Giso* sub Clodouæo 3. & Hildeberto R. ex MS. Catal.

*Anno primus* sub Dagoberto 2. ex MS. cat.

*Pharamundus* sub eodem. ex MS. cat.

*S. Agilolphus* primus sub Hilderico R. huius vitam habeo MS. & statuo illum Martyrio coronatum anno 718. 9 Iulij.

*Raginfredus* sub Theodorico 2. ex MS. cat.

*Agilolphus* secundus præfuit 748. ex Surio & Baronio.

*Hildegernus* sub Pipino Rege occisus à Saxonibus anno 755. pro fide. ex MS. cat.

*Berielinus* annis 10. sub Pipino Rege. ex MS. cat.

*Recolphus* annis 22. sub Carolo Magno. ex MS. cat.

*Hildeboldus* annis 34. sub Carolo & Ludouico Imp. & Ludouicum Regem vnxit. ex MS. cat.

Retineat diligenter hunc elenchum qui res Ecclesiasticas Belgicas sæculi octauæ enarrare aggreditur.

Anno siue Annõ iste primus est istius nominis Ep. Colonienfis, qui cum S. Willibrordo interfuit translationi sacri corporis S. Lamberti Traiecto Leodium per S. Hubertum de qua alibi. An fuerit verus Archiepiscopus quemadmodum hic nominat Marcellinus, an simplex Episcopus, discutietur postea. Alius est Anno secundus istius nominis eiusdem vrbis verus Archiepiscopus defunctus anno 1075. Sancti titulo decoratus. Huius vita late scripta est iussu Reginhardi, procuratoris Cœnobij Sigebergenfis cuius S. Anno est fundator ibidem requiescens. eundem laudat Lambertus Schafnaburgensis eius contemporaneus in Chronico Hirsfeldensi ad annum 1075.

D I S S E R T.